Dallwig, Wilh. Conrad.

Marburg

Pylori scirrhosi casus cum epicrisi.

Dissertatio inauguralis

quam

pro summis

in

Medicina, Chirurgia atque arte obstetricia honoribus

die VIII. Decembris MDCCCXXI.

rite capessendis

auctor

Guilielmus Conradus Dallwig,

Wernswigensi - Hassus.

Marburgi,

typis J. C. Kriegeri academicis.

Fallax quoque non raro experientia, si rationis ductu fuerit destituta: quapropter, nisi mutuam sibi lucem communicent, aequam erroris ansam praebebunt.

Bagliv de praxi medica libri II. edit. Baldinger. p. 13.

Viro clarissimo, experientissimo,
meritissimo,

Ferdinando Wurzer,

medicinae doctori, eiusdemque in litterarum Universitate Marburgensi Professori publ. ordin., serinissimo Hassorum principi electori ab aulae consiliis, aureique leonis Hassíaci ordinis equiti, Deputationis supremi sanitatis Collegii atque instituti chemici Marburgensis Directori, permultarum societatum litterariarum socio etc.

Praeceptori suo

ad cineres usque colendo

has qualescumque studiorum primitias

in

summae venerationis at pietatis tesseram

ea, qua par est, reverentia

D. D. D.

tanti nominis cultor obsequiosissimus

auctor.

Praefatio.

Casum, dissertatiunculae nostrae sistens argumentum, ex variis, quos in Clinico Marburgensi medico duce praeceptore dilectissimo, viro experientissimo, meritissimo Ullmann iuniore observare mihi contigit, eo libentius virorum doctissimorum propono iudicio, quum multa ratione gravis attentioneque dignus mihi videatur: sufficiet, lectores benevolos solummodo ad causam morbi nostri occasionalem, decursum fere acutum, atque ea denique, quae sectio cadaveris obtulit, reddere attentos. — Existimantes vero, melius nos fini responsuros esse, paucis multa, quam multis pauca dicendo, parum opusculi nostri voluminis, quod pro lubitu augere (nec vero ideo utilius reddere) potuissemus, habuimus rationem.

Ceterum bene sentio defectus laboris mei. Quicumque igitur sis, benevole lector! velis cogitare, quam breve sit curriculi academici tempus, et exiguae vires iuveniles, labori arduo, omnibusque partibus absoluto producendo rarissime pares!

Dabam in Universitate litterarum Marburgensi die IV. mensis Decembris MDCCCXXI.

Sectio prima,

continens historiam morbi.

Conradus Wiegand, faber lignarius, aetate annorum quadraginta, temperamento phlegmatico-melancholico die decimo sexto mensis Augusti Clinicum medicum Marburgense adiit, auxilium ibi impetraturus a viro doctissimo, experientissimo, Professore Ullmann iuniore. Praeter vomitum post duodecimam quamvis horam inde a sumtis cibis redeuntem, quo iam per hebdomadem erat vexatus, ac praeter symptomata vehementis cardialgiae, vomitus appropinquantis, tempore maxime exacerbantia nil fere querebatur. Habitu erat tenui, gracili et vix non hectico, constitutione atrabilari. Causa mali occasionalis examine instituto nequaquam erat reperienda. Solam igitur aegroti dispositionem respicientes, infarctus

vel molimina arthritica maximas partes tenere, diaetaeque fortasse vitium subesse existimavit clinici director; qua ratione hasce proposuit pilulas:

℞. Gumm. asae foetid.
Bilis taurini rec.
inspissati
Ext. taraxaci aa ℥j.
🝗 radicis rhei ℈jj

M. f. l. artis pilulae gr. jj 🝗 cinamomi conspergendae D. S. mane et vespere pilulas octo sumat aegrotus.

Die decimo octavo mensis eiusdem ad nos revertebatur aegrotus. Vomitus vero cum ceteris affectibus tam parum erat sedatus, ut potius omnia symptomata facta essent vehementiora. Vomitus assiduo eodem tempore accuratissime apparebat; alvus erat obstructa; ciborum appetitus deminutus quidem, nec tamen omnino erat extinctus; facies erat demissa, tristis, sensuumque praeterea magna hebetudo. Abdomen vero parum tantum erat turgidum ac tensum. Summa ceterum extremitatum, maxime inferiorum, laborabat debilitate, ita, ut ne vix pedibus quidem insistere posset.

Quum igitur omnia evasissent deteriora, opinabamur, pilulas primae ordinationis, utpote quae nimis fortasse stimularent, congestionesque ad ventriculum augerent, cum medicina magis antiphlogistica ac derivante leniterque simul resolvente esse commutandas. Hinc sequens ordinabatur mixtura:

R. Decoct. taraxac. ℥vjjj
Sal. Glauber. ℥j
Syr. cichor. c. rheo ℥ß

M. D. S. Singulis horis cochlear sumendum.

Praeterea pediluvia calida propinabamus. Die vicesimo primo mensis eiusdem infirmitas iam tantum profecerat, ut aegrotus in cubiculo manere esset coactus. Symptomata prorsus erant immutata; nec febris hecticae manifesta supervenerant vestigia. Detegebatur nunc attactu locus abdominis induratus, qui vero, utrum pylorus fuerit an alia pars indurata (pancreas, hepar etc.) decerni non potuit. Ceterum haud multum therapiae retulit certae mali sedis diagnosis, quum iam bene intellexissemus, omnia artis conamina fore incassum. Sub tanta rerum calamitate ordinabatur haec mixtura:

R. Lich. islandic. ℥jjj
coque cum
▽ fontan. ℥vj
ad remanent. ℥v
Colatur adde
Acid. hydrocyanic. secundum methodum Ittneri parat. gtt. v.

M. D. Ad vitrum embolo vitreo clausum. S. Singulis horis cochlear sumendum. Alvo pertinaciter obstructae opponebantur enemata irritantia; pediluvia continuabantur.

Ad diem vicesimum octavum mensis eiusdem usque omnia fere eadem fuerunt. Vomitus autem loco, antea post duodecimam quamvis horam redeuntis, nunc eodem typo abdominis inflatio ac vomituritio apparebant. Facie omnino iam hippocratica summaque aegroti imbecillitate existentibus, ventriculi statu paralytico fere (conatibus vomendi frustraneis manifestato) mortem mox miseri finem facturam esse, sperare licuit. Medicinae igitur, quam propinaveramus, haud alia nisi palliativa esse potuit utilitas. Hinc obstructioni alvinae insuperabili fere, infirmitati ac maciei in dies

crescentibus, vir doctissimus atque experientissimus Doctor Eiser, singulari eruditione atque in cognoscendis et curandis morbis sagacia excellens, cui viri huius cura per plures iam dies commissa erat, haec opponebat:

R. 🜄 valerian.
🜄 flor. chamomill. āā ℥jjj
Acid. hydrocyanic. Ittner. gtt. vjjj

M. D. S. Omni bihorio cochlear sumendum.

*   *
*

R. Acet. vini ℥vjjj
🜄 fontan. ℥jv
in qua solve
Ext. aloës aquos. ℨjjj

M. D. S. enematibus quatuor inserviens.

Victus, qui porrigebatur, erat nutriens facilisque digestu. Macies totius corporis, iam maior facta, quam ut eam crescere posse credideris, tanta erat; ut aegrotus sceleto esset simillimus. Vox erat rauciuscula et difficilis: ipse iam vix statum suum enarrare potuit, quin singulis verbis fuerit intervallum. Respiratio vero nec suspiriosa erat neque anhelosa, sed, uti ab initio

morbi, accelerata tantum; cutis sicca. Ceterum ut aegroti conditio facta erat maxime flebilis, ita spes eius recuperandae sanitatis firmissima.

Die secundo mensis Septembris. Enematum applicatione excrementorum nonnullorum firmorum, nucis iuglandis magnitudine, deiectio efficiebatur. Aegrotus, quamvis passibus quasi giganteis morti obviam veniens, ab alvi deiectione reconvalescentiae spem summam petiit. Hinc die quarto mensis eiusdem reiterabantur enemata et mixtura novissima, ac praeterea ordinabatur decoctum album Sydenhami. Die sexto mensis eiusdem summa aderat virium prostratio, abdomen inflatum ac tensum, pulsus parvus nec multum acceleratus, cutis sicca pergamenti instar, sitis ingens; pedes vero non intumuerant. Talis erat aegroti nostri conditio usque ad diem octavum mensis eiusdem, quo, convulsionibus extremitatum superiorum respirationisque difficultatibus praegressis, placide dormiens animam efflavit.

Quae postridie sectione cadaveris reperiebantur abnormia, sunt fere haec: Cadaver spargebat odorem summopere foeten-

tem; dissectis integumentis omenta tenuia sanguineque repleta conspiciebantur, ut inflammationem praegressam existimaveris. Ventriculus autem immani deprehendebatur magnitudine; sinistra eius pars ad quartam usque costam veram vergens, cor pulmonesque sinistros e situ repulsit, ut illud in dextro magis pectore quam in sinistro iaceret; pars vero dextra ventriculi vesicam urinariam propemodum attigit. Ligatus deinde filamentis ventriculus excindebatur; liquoribus et ciborum particulis nonnullis, quibus erat repletus, factum est, ut poluerit pondere librarum octo. Pylorus immani erat duritie magnam praeterea duodeni partem occupante. — Aperto deinde ventriculo omnia indigesta profluebant, residuum autem remanebat nucleorum cerasorum circiter centum et quinquaginta. Pylori indurati pars interna tam exiguo erat lumine, ut vix linearum duarum diametrum superaret. Massa autem pylori steatomatosa fere fuit, atque hinc inde duritie cartilaginea et vix non ossea. Vasa vero recenter formata non observabantur. Omitto organa, quae normali vel tali saltem conditione inveniebantur, ut ea ad mor-

bum defuncti haud pertinuerint, uti hepar, pancreas, renes etc.

Sectio secunda,

continens morbi descripti epicrisin.

A. *Diagnosis morbi.*

Quum vomitus ab indurata vel scirrhosa ventriculi conditione originem ducens, praecipue auctoritate clar. Wichmann *) aliorumque duabus tribusve horis a victu sumto constanter appareat, dubium nobis esse oportuit, num aegrotus noster angustatione pylori scirrhosa laboraret. Accedit, quod omnia fere signa affüerunt, quae vir clarissimus ut vomitum, qui ab ileo angustato oriatur, comitantia refert. Aegrotus nimirum (uti iam supra memoravimus) duodecima quavis tantum hora post victum sumtum vomebat, et quae eiiciebantur, massa erant albida, fluida, floccis intermixta; pressio et dolor inter umbilicum et cordis scrobiculum appropinquante vomitus

*) Ideen zur Diagnostik, 2te Aufl. Hannov. 1800. vol. I. p. 176.

tempore exacerbabat, per intervalla remittebat. Locus induratus attactu facile detegi potuit multoque inferius inveniebatur, quam pylori situs statu normali est.

Summa praeterea animi erat demissio ac tristitia. Atque haec omnia ilei potius angustati quam pylori scirrhosi speciem prae se tulerunt.

At vero alia nonnulla extitere symptomata ab auctoribus non tanti, quantum oporteat, aestimata, quae potius ventriculum ut morbi sedem prodiderunt: ructus nimirum acidi vomitum praecedentes, materiaeque eiectae, gustus acidus, borborygmorum defectus. Ex symptomatibus illis, licet iis, quae ileum aliamve tractus intestinalis locum angustatum indicaverunt, minora primoque intuitu accidentalia tantum videantur, nos tamen in pylori scirrhositatem coniicere eramus propensiores. Nam (pace virorum doctissimorum sit dictum) vomitus, quem in pylori angustatione tribus quatuorve horis post cibos potusve sumtos oriri contendunt, singulis tantum observationibus et statu ventriculi normali inniti videtur. Si pylorum angustatum, ceterum vero ventriculum sanum omnino si-

mul cogitare possemus, exspectandum foret, vomitum constanter tribus quatuorve horis post victum sumtum apparere. At vero qui multis in casibus aliter fieri potest, quam ut ventriculi, quacunque causa occasionali praegressa vehementer subitoque irritati, conditio sit torpidissima? Atque hoc semper valebit de pylori angustatione, quae ceteri ventriculi dilatatione iungitur. Nec vereor, ne ideo clarissimo Wichmanno contradicam, contendenti, vomitum ex ventriculi debilitate orientem esse rarissimam (nam loquimur tantum de vomitu debilitate comitato). Nos certe affirmare possumus, ab initio ad finem usque morbi vomitum constanter una eademque hora apud aegrotum nostrum rediisse. Affectionem pancreatis coniicere non licuit, quandoquidem neque auctae nec suppressae salivationis observabantur vestigia, ac pancreatis affectionum diagnosis densis adhuc obvolvitur tenebris.

B. *De causa morbi.*

Ventriculi dilatationem, quam in cadavere deteximus, non causam, sed effectum pylori scirrhosi vomitusque inde profecti

fuisse, nemo erit, qui dubitet. Sed unde pylori magnaeque intestini duodeni partis induratio? nulla causarum, quas referunt scriptores, examine potuit erui. Spirituosa tam parum amaverat, ut ea potius esset abominatus. Neque unquam se corpore aestuante aquam frigidam bibisse, contendit. Aegrotus antea, ut asseverabat, omnino erat sanus, neque haemorrhoidibus, neque alio profluvio, neque exanthematibus, neque impetiginibus, neque arthritide laboraverat. Victu quidem fruebatur tenui, nec tamen tali, qui ad provocandum hoc malum conferre aliquid posset. Tristis pathematum animi deprimentium effectus procul utique aberant ab aegroto nostro. Atque igitur nihil aliud pro causa occasionali haberi poterat, quam magna cerasorum una cum nucleis devoratorum copia. Affirmatur haec opinio eo, quod aliae causae occasionales defecerant, et, uti sectione peracta e defuncti uxore audivimus, ab eo inde tempore, quo cerasis illis vescebatur, pravae digestionis symptomata et diebus aliquot post vomituritio et vomitus ipsum vexaverant. Concoctionis tempore complures nucleos cerasinos una pyloro invectos ubique quasi

incarceratos fuisse, veri simile est; quem stimulum congestiones *) ad pylorum sequebantur, quarum effectus descripta fuit induratio. Hinc quoque decursus morbi fere acutus explicari potest, quandoquidem causa congestiones provocans (nuclei cerasorum) continuo vim exseruit, quin tamen provocandae ventriculi inflammationi par fuerit. Memorabile denique est, quod aegrotus durante morbo nullis respirationis et circulationis sanguineae difficultatibus laboraverat, tanta cordis pulmonumque dislocatione post mortem detecta; videtur igitur, ventriculum, etiamsi per plurimum morbi tempus tanta fuerit magnitudine, quali post mortem deprehendimus, ultimis demum vitae diebus uteris anorgici instar cibis potibusque, quibus exitus omnino fere iam fuerat praeclusus, fuisse extensum. Hinc etiam factum est, ut vomitus postremum cessaverit, eiusque loco leves tantum vomituritiones, ut signum sensibilitatis ventriculi mox extinguendae, sint observatae.

*) Et nos clarissimi C. Wenzel (über Induration und das Geschwür in indurirten Theilen) assentimus, cum inflammationum chronicarum existentiam negans indurationes longe plurimat a congestionibus derivet.

Theses.

I.

Uterus virginis ad reproductivum, gravidus ad irritabile, parturiens ad sensibile maxime pertinet systema.

II.

Cl. Wigandii in placentam praeviam methodus plerisque in casibus illi, qua hucusque utebantur medici, est praeferenda.

III.

Convulsiones parturientium non semper indicant partum arte absolvendum.

IV.

Antispasmodicorum usus in graves parturientium convulsiones, nisi alia praemittantur remedia, plerumque noxius.

V.

Pravi foetuum situs inter partum remediis dynamicis saepe possunt evitari.

VI.

Non quodlibet infanticidium, a matre statim post partum infantis commissum, pro crimine potest haberi.

VII.

Hypochondriasis, quam sine materia vocant, saepissime soli affectioni systematis gangliaris (potissimum plexus solaris) inniti videtur, ita, ut hoc systematIs cerebralis suscipiat provinciam; hinc aucta systematis illius sensibilitas, tanta interdum evadens, ut nervis illis de statu suo atque organorum, quibus praesunt cognitionem inesse existimaveris; hinc affinitas morbi huius cum affectionibus psychicis, ut cum melancholia et nonnunquam cum magnetismo animali.

VIII.

Sunt hypochondriases, quae potius hysteriae nomine sint dignae, et vice versa.

IX.

Magnetismus animalis, etiamsi omnino esset ignotus, nostro tamen aevo (hyperphysico) sexcenties adhuc detegeretur.

X.

Quodcunque symptoma syphiliticum, etiamsi sit mere topicum, internum Mercurii indicat usum.

XI.

Universa medicinae historia docet, medicos no-

vam medendi theoriam sibi formasse, quotiescunque character epidemicus novus atque singularis erat ortus.

XII.

Quamdiu genius ille epidemicus, qui novae theoriae oriundae ansam praebuerat, dominium exercet, tamdiu theoria pro vera ac sola salutari habebitur. At si vero character epidemicus vel sensim imminuitur, vel subito evanescit, natura theoriae vi quasi accommodatur.

XIII.

Theoria igitur his in casibus falsa fuerit, nequaquam est necesse, sed obiectum theoriae sub manibus quasi medicorum fuit transformatum: hinc Bruno nil nisi astheniam, cl. Stollius nil nisi gastricismum observaverant.

XIV.

Itaque verisimile est, theoriam medicam unice atque in sempiternum salutiferam nunquam reperiri; — medicus autem ut fidelissimus atque accuratissimus genii epidemici observator, ita optimus ac felicissimus morborum sanator vel potius naturae erit minister.